

REGNUM MORTUORUM.

Nro. 85.

 Eysium-Meum. Die Martis 27. Nov. 1810 (Neov. 6. Nov. 1810.)

Epochae Commercii Colonialis.

Ex tribus Saeculis Politica Europaeorum Statuum praecipue per *Commercium* definitur. Hoc, et cum eo universum Status Europaei Systema totalem subiit conversionem per erectas Colonias, quarum origo ab Anno 1492 a Christophori Columbi detectione Americae repetenda. Quaevis Europaeorum in aliis orbis partibus possessiones et Sedes, quae adoptato Coloniarum nomine continentur, pro finis et coordinationis suae ratione in 4 Classes dispescuntur, quae sunt: *agriculturae servientes*, quarum finis oeconomia ruralis. *Cultivationis Coloniae*. Culturae certorum naturae productorum et plantationi adaptatae pro Europa. *Culiurae montanae* destinatae coloniae, Metallorum eductioni servientes. *Commerciales Coloniae* quarum destinatio mercatus cum productis naturae illius regionis vel maris et productis artis, Indigenarum.

Coloniarum ordinatio immensa habuit Consectaria! per eam directio et Systema Commercii orbis ex integro mutatum est. Ex Commercio terrestri in maritimum conversum, prout et naturae hujus paligenesiae

admensum fuit, ut Occidentales Europæ Status, in vicem mari mediterraneo adsitutorum, Sedes Commerciï orbis efficiantur. Quæ etiam ratio, quod Occidentales populi, Portugalli et Hispani primam partem in eo caperent. — Cum diu absque aemulo soli trans Oceanum dominati sint, factum est, ut prætensionibus eorum exclusivæ possessionis et Juris tam in detectas terras, quam maria firmæ redderentur. At progressus admodum dispares fuere: Coloniali Portugallico Systemate sub principio Saec. XVI. pene jam perfecto, Gyganteum contra Hispanicum subsequere primum excitatum est.

Intermedio Annorum 1558 et 1618 tempore Colonialis Europæorum res et ei superstructum orbis commercium essentielles subiit mutationes; promanarunt eae potissimum ex monopolisticis Hispanorum usurpationibus aliarum nationum invidiam, aemulationem, bellum creantibus. Illa erat Epochâ qua Portugall. in Indiis Orient. commercium collapsum, contra Hollandi suum condidere, et orbis commercium sibi vindicavere, interea Angli eas aemulari conati una vero erectione ampliarum privilegiatarum Commercialium societatum non Commercio modo, sed et Politicæ Coloniali aliam formam indidere. Sub Elisabetha Tudor Anglia ceu felix pro orbis Commercio aemulatrix scenam ingressa, cumque efflorescente porro externo in Anglia Commercio, genius monopolisticus quoque effloresceret, factum est, ut et

Commercium Indiarum Orient. exclusive Societati commissum sit, quae nihilominus more aliarum erectarum Societatum Commerc. duntaxat mercantiles, nequaquam politicos fines sibi praefixos habere debuit.

Ab Anno 1618—60 continuo Hollandi princeps commercialis natio erant. In eadem cum iis ratione Angli rem suam commercialem extendere et coordinare. Occupatio et acquisitio P. Pyrenaea 1659 Jamaicae jam medio Saeculi septimi decimi cunabula futurae eorum in Indiis Occid. potentiae jecit.

Praecipuae conversiones, quas Coloniale Europaeorum negotium seqv. decennio sustinuit, a participatione Galliae exordium duxere, Colonias sui juris facere contendentes, interea quo Britannicum Coloniale Commercium notabiliter increvit. Primis Saec. XVIII. 40 annis Coloniale Europaeorum Systema nec ambitu suo admodum amplificatum, neque, demtis nonnullis Galliae Anglis factis celsionibus, grandes in argumento possessio- nis mutationes in eo locum habuere. — At tanto notabilius intrinsecum ejus erat incrementum. Producta Colonialia, praeprius Indiarum Occid. omni expectatione majorem distractionem sortita, eadem in ratione increvit animus cultivandi, dumque amplum orbis commercium suapte se iis adnecteret, interea factum, ut plures Status in iis basim Commer- cii sui, ipsius politicae magnitudinis conti- neri animadverterent.

In Britannicis Ind. Occid. possessionibus primum Anno 1732 Coffea plantata, ejus cultivatio nihilominus Culturæ Sachari inferior mansit, quæ 1641 ex Brasilia et Ins. Barbados allata, cujus flore Insulæ Ind. Occ. primum notabiles redditæ sunt. Quæ a tribus sæculis Europæi trans Oceanum plantarunt, quæque ab eo tempore succevere, ab 1740—86 spatio 46 annorum maturitatem adeptæ sunt. Coloniae omnis generis hac periodo maxime momentosæ effectæ sunt. — Trans Oceanum nova Respublica effloruit. Coloniae Britannicæ in Boreali America desciverunt a matre Civitate, at eorum liberum cum Anglia Commercium brevi post multo amplius, quam ullum unquam coactivum Commercium fuit.

Indiæ quoque Occidentales amplificatæ; nihilominus Orientales theatrum erant amplum et splendissimum Britannicæ Colonialis Politicæ.

Mercatum exercentes viri occupatores regnorum facti, conditores Regni, ambitu geographico et numero Incolarum metropolitano excellentioris, ita Societas duplici sub forma adparuit, ut Imperans, et ut mercator; factaque Anglia forum mercium Indicarum, juxta et vorago Indicarum opum.

Haec adjuncta Anglia quoque retinuit seqv. decadibus annorum ab 1786—1806. quo Napoleo longe diversam et novam in historia Commercii Epocham condidit, quantas non ubivis Epochas ille condebat?

Illam, quam in Annalibus Politicae Commercialis excitavit, exordium coepit die 26. Nov. 1806. celebri Decreto Berolinensi, quo Insulae Britannicae in statu obsidionis declarantur, commercialis nexus cum Anglia interdicitur, Confiscatio Anglicanarum mercium, personalisque quorumvis sub Gallico dominatu repletorum Britannicorum subditorum comprehensio decreta. Huic Berol. Decr. quod subsequente edito Mediolanensi confirmatum adhuc et exasperatum est, exclusa continuo magis a Continente Gallicanis armis Anglia, Secreti Conclavis ordinationem de 7. Jan. 1807 opposuit, vigore cujus nulli navi, Gallico ex-
 portu, aut foederati ejus, aut ab iis occupato, aut navibus Britannicis per eorum auctoritatem non patente, in alium portum commercium exercere licet.

Europa Borealis adhuc Anglicano Commercio patuit. In hac Secretum Conclave Londinense ipsi sibi per expeditionem Hafnensem viam clausit. Dania momentosos portus suos die 16. Aug. 1807 Commercio Anglicano obseravit; nexui cum hostilibus Insulis mortem minata; Russia et Europa borealis Daniae Causam suam fecit, foederi adversus Britanniam Magnam accedens. Verum quidem est: hanc Anno 1808 novas, derivantes merces, vias in oris Pyrenaeae Peninsulae, in Brasilia, et Hispanicis novi orbis conditionibus pro Copia fabricatorum et Colocalium productorum suorum aperuisse; Praeterea Hollandia aliique Europaei Status clau-

ularium adhuc cum Anglia commercium exercebant, ad quod privati commodi studium, lucrique magnitudo tam acriter irritarunt.

Imperatorem Gallorum non latebant hae factis probatae in Continentali Systemate exceptiones. — Ipse perspicere videbatur: Decreta sua Berolino et Mediolano edita sola finem Politicae suae nequaquam in effectum deductura esse, saltem Minister negotiorum externorum Dux de Cadore legato Americano declarabat: Parisiis die 5. Aug. h. a. Decreta Berolinense et Mediolanense revocata et a Calendis Novembris ea sub conditione vi destituenda esse, ut Angli conformiter huic declarationi sua Secreti Conclavis decreta aequè retractent, novisque suis obsidionis principiiis nuncium mittant, aut ut Status Americani efficiant Jura sua ab Anglis aestimari.

Rationes, quae agendi rationi obicem posuere, qua fontes Anglicani Commercii deducendi erant, ex una parte asvetudo in merces coloniales, ex altera, illicium lucri occasione earum invectionis, fuerant. His occurrebat Tariffa edita in arce Trianonensi, qua nova rursus Epocha in Historia Commercii oritur, appendix postremae quadriennalis Periodi. Commercium cum Anglia et ejus Coloniais vetitum manet, et juxta hoc Interdicium *principium* subsistit: quasvis ab Oceano adpulsas Coloniales merces, ita considerandas, ac si ex Anglicano Commercio

promanarent, et Teloniali Elencho praestationum ab importatis mercibus (Tariffae) subessent. Haec, Decreto Trianon. die 5. Aug. h. a. edita advoluta Tariffa per id singularem in historia orbis valorem consequitur; quod Mense Octobri 1810 ad dignitatem practicae Legis pro universo Continente elevata sit. Decretum Napoleonis in Fonte Bellaqueo die 4. Octob. editum declarabat: Ex cunctis productis et mercibus, in dit. Megalopolitanas, Lavenburgicas, urbes Hanseaticas, omnesque Mare atque Gallicanam teloniam lineam a Recensio (Rees) ad Rhenum inchoando usque Mare Balthicum interjacentes ditiones, prout et a cunctis in his dititionibus existentibus mercibus has praestationes dependendas esse, praecepitque earum Indictionem sub poena Confiscationis.

Decretum Gallicanum Caesareum de 4. Octob. indulget invectionem quarumvis de praesenti in Holsatica ditione existentium, ex Danicarum pradatoriarum spoliis promanantium Colonialium mercium per Hamburgum in teloniam lineam, sub conditione solvenda Tariffae Trianonensis, et cum id genus agendi rationes communi duntaxat cooperatione efficaces esse possint, Imperator operam dabat, ut Trianonensis Tariffa ubivis applicationem sortiatur. Principes Rhenani foederis, Reges Vetsphaliae et Wittenbergae MM. Duces Francofurt. et Hassiae, Dux Saxoniae, Princeps Isenburg. Helvetia, e vestigio eam Civitate donarunt; et alii plu-

res, — in M. Ducatu Montis, et Provincia Erfurtensi legis vim sortita, et ipse Rex Borussiae Tariffam de 5. Aug. hactenus vigenti Accisae Consumptionis surrogavit.

Consectaria novi hujus in historia commercii phoenomeni pedetentim se explicabunt; praevie vix definiri queunt, cum directio Commercii in se ambitum rationum supputandarum excedat. Id dubio vacat: Tariffam Triannonensem novam pro Politica Commerciali Epocham condere.

Hafnia 26. Octob. Praetereuns Otiniam Coronae Svecicae princeps in eate arce noctem egit. — Cohors levis armaturae Dimachorum excubias honoris causa egit, et officiales praesidarii Principem comitabantur. Coenae occasione inter tormentorum fragores pro salute ejus Ciathi evacuati sunt.

Ex Slesvico Holsatica Cancellaria sub 30. Oct. seqv. Enciclicae emanavere:

„Regia Majestas Cancellariae clementer demandavit: Cunctis civilibus in Ducatibus Slesvic. et Holsatiae Dicasteriis pro humillima observatione et uberiore concernentibus facienda notificatione promulgandum esse: Serenissimae Coronae Svecicae Principi in itinere per Ducatus Slesvic. et Holsatiae profectionis quamvis, quae potest, promittudinem, eademque honoris augmenta exhibenda esse, quae Serenissimo Svecicae Coronae Principi exhibita fuere.“